



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma  
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter  
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1688**

Tent. IV. Circa repetitionem præteritorum peccatorum faciendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

portione applicare poterit ; nec enim credendum est, eum, qui tantam erga DEUM charitatem præfert, facile propositum iterum eundem deliberatè offendendi concepturum, cùm S. Cyprianus M. apud Laticinium l. c. n. 31. dicat : *Non pertinet ad te, Domine, nec de tuis est, qui te non diligit : nec diligit te, qui te scienter offendit.*

#### §. IV.

*Tentatio IV. circa repetitionem præteritorum peccatorum faciendam.*

LXVIII. **F**RANCISCA Virgo cùm ante aliquot annos turpiter à Juyene quopiam seducta, sat multa, eaque gravia contra castitatem peccata admisisset, ea quidem postea suasu Confessarij universa per confessionem generalem cum summo dolore expiavit, verùm assiduis urgetur scrupulis, ne ea sufficienter cum omnibus circumstantijs non expresserit, atque adeò graviter tentatur, ad antiqua peccata repetenda, Confessariumque suum frequenter sollicitat ad facultatem hanc concedendam. Quæritur, an Confessarius negando potiùs, quàm concedendo facultatem huic tentationi occurrere debeat ?

#### *Responsio.*

LXIX. Inprimis seriò illi prohibeat, ne ullam ampliùs mentionem in confessione de iisdem faciat, imò hortetur, ut omnino eorum, quantum fieri potest, obliviscatur, etsi non meminerit, se omnes circumstantias accuratè explicasse ; nam non meminisse, non est rationabilis causa dubitandi, ut doctissimi Theo-

Theologi sentiunt, cum nec aliorum nostrorum  
 & aliorum omnium semper meminerimus.

LXX. Secundò ut minùs ob facultatem hanc  
 gatum angatur, ostendat eidem, quàm securè possit  
 ommittere talium peccatorum confessionem, cum in  
 primis Authores probatissimi, in specie verò Layman  
 Navarrus, Medina, Saa, Henriquez, Conninck do-  
 ceant, id facere eam posse, & debere. Deinde ve-  
 rò dubium in conscientia scrupulosa sit apud alios  
 moralis certitudo. Et tandem etiamsi aliquam cir-  
 cumstantiam non fuisset confessa, non teneatur  
 tanto suo damno omnimodam confessionis integritatem  
 procurare, utpote à qua minores sæpe difficul-  
 tates sæpe excusant, uti Coninck 2. 2. p. 2. d. 7. n. 9.  
 cum alijs notat.

LXXI. Tertio suadeat illi, ut consilium S. Bernar-  
 di sequatur, qui in sermone de SS. Petro & Paulo  
 loquitur: *Ad Dominum conversos non nimium ex-  
 ciet præteritorum peccatorum conscientia, sed tantum  
 humiliet vos, sicut & ipsum Paulum.* Quod ipsius  
 alij SS. Patres & Ascetæ confirmant, dum suadent  
 ut omnium, quæ retrò sunt, cum S. Paulo obliviscamur,  
 & ad anteriora nos convertentes, ex præteritis  
 peccatis triplicem fructum, scilicet ruborem, dolorem  
 & fervorem, quo præteritas negligentias satisfacere,  
 & tempus elapsum, malèque impensum quantum  
 redimere quisque studeat, retineamus.

LXXII. Quarto denique ostendat illi, quòd ex  
 tali confessione non modò nullum fructum reportatur,  
 ra, sed potiùs grave damnum accersura sit, dum peccata  
 inde ut Aviculæ, quæ in retia inciderunt, quòd magis

gis evadere volunt, eò magis se implicant, ita & ipsa, quò magis conscientiam suam per peccatorum repetitionem tranquillare cupit, eò magis illam inquietam & anxiam sit effectura. Unde rectè Taulerus apud Blosum in consol. pusill. sic loquitur: Eorum, qui confessiones recipiunt, potestati & authoritati fides adhibenda est, sicut & Verbis Dominicis, quibus ait: *Quorum remisistis peccata remittuntur eis, & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* In veritate dico, carissimi, ubi quis peccata suarum ritè confessus adhuc remorsum ex iisdem in conscientia patitur, multò meliùs fecerit, si hac in parte DEO confitendo, & fidem virtuti confessionis adhibendo, eadem denuo non confiteatur, quàm si iteret confessionem; oportet enim divinæ pollicitationi & ipsi DEO confidere. Quod dum facit homo, habet illum veracem, credens haud dubiè servaturum, quod ei in absoluteione promisit.

## §. V.

*Tentatio V. circa satisfactionem.*

LXXIII. **M**Agdalena olim publica Meretrix, sed postea seriò conversa, memor tantorumque peccatorum à se commissorum, imò & alienorum, quorum se per allicientiam & cooperationem participem fecit, perpetuò timet, ne defectu competentis satisfactionis jacturam æternæ beatitudinis pati cogatur, ideòque hanc suam tentationem & anxietatem Confessario suo aperit. Quæritur, quæ arma ei suppeditare debeat Confessarius ad hanc tentationem vincendam?

Respon-